13.

Q. D. B. V.

De

Superioribus Vngariae Converſionibus,

diſputabit

SVB PRAESIDIO

CONRADI SAMVELIS SCHVRZFLEISCHII,

IOANNES MASCHIVS,

Paſevvalcko-Pomeranus,

In Auditorio Maiori,

Ad d. XXII. Febr.

CVM PRIVILEGIO SEREN. EL. SAXON.

Diſputatio XIII.

LIPSIAE, Apud NICOLAVM SCIPIONEM.

cIↄ Iↄc XCIIX.

I.

MVtatis populorum moribus, plerunqve fortuna eorum convertitur, et penitus mutatur, qvum ipſi ſe impediunt, disſidiisqve implicant, ſuorumqve auctores malorum, animos et conſilia diſtrahunt, belliqve rudes, in bellandi audaciam prorumpunt.

II. Qvod Graecis uſuvenit, qvi perſaepe bello civili ſeditionibusqve agitati ſunt, ex qvibus mutandi imperii occaſiones, et magna graviaqve ſubinde mala extiterunt. Horum fontes iam ab ultimis inde ſeculis aperuit ſcriptor belli Peloponneſiaci *Thucydides, qvi, ut antiqviſſima regna Herodotus, ſic ipſe veteres Graeciae civitates, resqve publicas diligenter conſignavit.*

III. Deinde in mollitiem verſi, athleticae potius, qvam militiae operam dederunt, atqve omiſſis belli artibus, a martio maiorum ingenio defecerunt prorſus ac degenerarunt. Ea fuit cauſa ſervitutis Graeciae, dudum a *Plutarcho* ſcriptore graviſſimo animadverſa, qvi auctor eſt, Romanos rerum dominos ita ſenſiſſe et exiſtimaſſe de Graecis, ut in *problematibus* tradit.

IV. Hoc pacto vigor Graecorum infractus, et robur Graeciae conſumptum eſt, maxime Romanis imperantibus, qvi ſubacto Macedoniae regno, reliqvos Graeciae populos facile ſibi obſeqventes, aut obnoxios habuerunt. *Livius XLV. 7. 8. 9.* Namqve id Romanis opportunum accidit, arma in Graeciam transferentibus, cum nec domeſticis, neqve externis viribus confidere poſſet, qvae antea praeter ceteras gentes imperio belloqve floruerat, et ius libertatemqve ſervarat. *Tullius in*

orat. pro Flacco. Sed poſtea regionum ſuarum terminos, qvos diu auxit, multumqve protulit, defendere non potuit, errore potius et vitio gentis, qvam caſu et neceſſitate rerum humanarum.

V. Eqvidem ſuperiori aetate, populus ille parvum Europae locum nactus, non ſuis ſe continuit finibus, magnamqve Aſiae partem adiecit, et Phrygiam, Myſiam, Cariam, Lydiamqve, et praeſtantes maris Aegei inſulas occupavit. At ubi ab hac diſciplina receſſit, fractis mollitie animis, fortitudo per ludos et ſpectacula ſenſim imminuta et amiſſa eſt, maxime qvum vetus Macedoniae regnum, in multa regna diſtractum exoleſceret, roboreqve deperdito, Romanis cederet in praedam. *V. Tullius et Livius cit. l. Tum Iſocrates et Ariſtides Rhetores in argumento de incremento et inclinatione Graeciae conferantur.* Illud vero memorabile eſt, qvod de allato victi Perſei nuncio commemorat *Plutarchus in vita Pauli Aemilii: ante hunc Plinius lib VII. cap. 22. hiſt. nat. poſt utrosqve Lactantius lib. II. c. 8. inſtitut. divin.* Recte adeo *Seneca* affirmavit, luxuriam, qvae Graecorum mores corrupit, aegrae civitatis indicium eſſe, *epiſt. CXIV.* Homerus omnium, qvi extant, profanorum antiqviſſimus ſcriptor, non dubitavit, eius notae homines, furentium numero cenſere, qvippe qvibus libido ſenſum rationemqve eripuiſſe videatur. *Iliad. XV. 128. 129.*

VI. Omne tandem huius gentis robur defecit extinctumqve eſt, ſub tempora Palaeologorum Ioannis et Conſtantini, qvorum alter arcendi hoſtis occaſionem neglexit, qvem aditu Europae intercludere debuiſſet, alter capto ſuperſtitione populo, et deleta cum iuſtitia fortitudine, Imperium conſilio deſtituit, atqve ab amicis deſertus, caput rerum ſimiliter ac vitam, foedo ſpectaculo, amiſit. *Laonicus Chalcocondyles lib. VIII.*

VII. Ante captam urbem Palaeologi aemulationibus iuxta atqve diſſidiis res ſuas diſturbarunt, barbarosqve, velut pate-

patefacto aditu, in Europam invitarunt, unde poſtea, viribus exhauſtis, eos expellere non potuerunt. *Videantur poſt Chalcocondylen, Aeneas Sylvius de ſtatu Europae ſub Friderico III. Cuſpinianus in eodem, Sabellicus Ennead. X. l.6. Mart. Cruſius in Turcograecia lib.* I. *Vict. Strigelius in ſchol. hiſtor. lib.* II.

VIII. Deiectis de imperio Palaeologis, aliqvanto poſt exciſi ſunt Comneni, et Trapezunte, qvae ſedes imperantium erat, ſub iugum miſſa, imperium, qvod in Cappadociam Colchidemqve patebat, pari et acerba huius gentis fortuna periit, funditusqve eſt deletum. Eadem ſervitute oppreſſum eſt Paphlagoniae regnum, cum fama Mahometis II. metum iniiceret finitimis, et memoria crudelitatis, qvam is Conſtantinopoli exercuit, plerosqve adeo petterrefaceret, ut pro ſolatio haberent, voluntaria deditione prius ſalutem paciſci, qvam arma in ipſos convertebantur. *Chalcocond. c. l. Phil. Lonicerus in chron. Turcico t. l. Reinerus Reineccius in appendice ad Haythonum.*

IX. Haec initia cauſaeqve calamitatis rei Chriſtianae extiterunt, cum, Graecis maiori parte ſubactis et domitis, creſcerent barbaris animi, et intercepta Thraciae urbe ad Boſphorum, occaſiones ſuppeterent bello in vicinos transferendo. Iamqve via ad invadendam Europam aperta, et impetus in Serviam factus, ubi re non proſpere geſta, movit in Aſiam, regnaqve Davidis et Iſmaelis in provinciam redegit: hinc Ciliciam, Lemnum Lesbumqve inſulas ſubegit, Stephanumqve, capta Iaycza, regno Boſnae multavit, et poſtea everſis, qvi diffidebant, Palaeologis fratribus, Thoma et Demetrio, Peloponneſum, qvam multi ſinus, portus et promontoria nobilitant, ditioni ſuae adiecit, ac Euboeam, qvam Euripus illuſtrat, munitisſimumqve eius inſulae caſtrum Chalcidem, olim inter compedes Graeciae relatum, et alias regiones atqve inſulas, Graeciae coniunctas, vel finitimas debellavit. *Antonius Geufraeus lib.* III. *Levinus Hulſius in Chronologia cap.* XXIII. *et* XXXI. *De*

Chalcide vid. Livius xxxii.37. de Peloponneſo Franciſcus Philelſus libr. viii. in epiſtola ad Carolum Francorum Regem, Dominicus Niger Geograph. commentar. xi.

X. Tantum detrimenti acceptum eſt unius iactura urbis, in qva arx propugnaculumqve rei Chriſtianae amiſſum eſt, propterea qvod ſitus opportunitate, et portus navigationisqve commoditate cunctas Europae urbes facile antecellit. Qvae Ponto Euxino, Boſphoro et Propontide alluitur, et gemini maris ianua et cuſtos eſt, ac domina Archipelagi, atqve Europae ſimul et Aſiae porta, ad capeſſendum terrarum orbis imperium condita et facta, *apud Petrum Gillium, qvi Thraciam Graeciamqve diligenter obivit, urbemqve hanc, in Thraciae umbilico ſitam, et maris continentisqve itineribus peridoneam, ſummo ſtudio atqve induſtria deſcripſit.* Ex qva urbe, velut ſede Imperii, Turcae legiones coloniasqve emiſerunt, atqve adorti finitimas regiones, alias ditioni ſuae ſubiecerunt, alias vectigales reddiderunt. Qvin etiam, ut vulgo tradunt, exinde ſibi ius aſſeruerunt in omnes veteris Imperii provincias, atqve in Romam ipſam, occidentalis Imperii ſedem. *Arn. Clapmarius lib.* II. *cap. 15. de arcanis imperii.* Non inficior, Mahometem II. capta urbe, ſucceſſu elatum, maioriqve imperandi cupiditate incenſum dixiſſe, unius imperium divino eſſe proximum, et huius ſimilitudine ac dignitate praeter cetera aeſtimandum, qvod rebus humanis maxime conducat, dignumqve ſit, qvod ſolum in terris conſtituatur. I*oannes Thurocius chron. Hungar. cap. LV.* Fateor qvoqve, occaſionis gnarum, temporeqve ſapienter uſum, aliqvot poſt urbem captam annis, Serviam Hungariamqve oppugnaſſe, ſed ex alia cauſa, atqve putet *arcanorum exiſtimator*, qvippe qvae, ut Mahometes cenſebat, ad illatam ab Hungaris iniuriam ſpectabat, non autem fundamento nitebatur repetendi provincias, amiſſas olim, et de imperio Cplo detractas, qvae multis ante ſeculis ab imperatoribus Graecis derelictae erant.

erant. Tanto minus qvicqvam Mahometi competebat in Romam, qvae dudum libera, ſolenniqve pacto ab Imperio ſeiuncta, ſuis regebatur legibus, ſeparatasqve adeo rationes habebat. In illas autem regiones, qvas nuper Emmanuel Palaeologus in ſeptenas portiones diviſerat, ratione multo valentiori ius confirmare potuit, et partes repetere abalienatas. Ita vero errore diviſionis admiſſo, diſtractae ſunt Palaeologorum res, diſcerptaeqve regiones, qvas Emmanuel, a qvo Ioannes et Conſtantinus, huius gentis Imperator ultimus, prognati ſunt, coniunctas potius retinere debuit, qvam partiri et divellere inutili pernicioſoqve exemplo. Hoc enim modo iactum eſt ab Amurathe fundamentum terribilis Turcarum dominatus, qvem, expugnata urbe, prope in immenſum auxit Mahometes II. I*oannes Leunclavius hiſt. Turc. lib.* VI. *et XV. et Petr. Bizarrus lib.* IX. I*oach. Camerarius in narrationibus Turcicis p. 48. Haud dubie Baiazethes urbem ad extrema redactam occupaturus fuiſſet, niſi Timur Scytha, qvi vulgo Tamerlanes eſt, armis in eum verſis , ab incepta obſidione retraxiſſet. Pariter Amurati et Mahometi* II. *reſtiterunt Georgius Scanderbegus, et* Io*annes Huniades, qvi impetum qvantis poterant viribus cohibuerunt, et huius etiam florentis fortunae curſum remoratus eſt Vſumcaſſanes, qvo non qvidem reſtinctus, ſed temperatus tamen et fractus eſt imperandi ardor, ut minus Chriſtiano orbi damnum afferret. Omnino enim his rebus colligendi ſe ac reſiſtendi ſpatium Hungariae datum videtur. Vid. poſt Laonicum Chalcocond. Leunclavium, Bizarrum,* I*acobus Strukhuſen in ſyntagmate hiſt. Saraceno Turc. p. 134. ſeqq.*

XI. Ruentis Graeciae fatum Hungaria ſecuta eſt, qvum Turcis impar, fervido conſilio conatuqve bellum fecit, et certamine dubio maximeqve periculoſo apud Nicopolin experiri coepit, atqve audacia et pugnandi impetu cladem, qvam prudenti cunctatione antevertere poterat, ſibi maturavit. Qvo

ictu

ictu regnum prope concuſſum, et tranqvillitas ferme omnis ſublata eſt, exortis paſſim factionibus, et Rege ob adverſam fortunam contempto, ut qvi nihil expectatione ſua dignum egiſſet, praeliumqve, ex qvo ſpes gentis pendebat, feſtinatione praecipitaſſet. Nam ſtatim atqve ſtragis nuncius in Hungariam perlatus eſt, ſeditionem concitavit Stephanus *Vaivoda*, et culpam acceptae cladis contulit in Regem, cenſuitqve, regno multandum. Poſtea reverſum contumelioſe habuit, fideiqve pariter et obſeqvii oblitus, ſvaſit, et auctoritate ſua pervicit, ut captus et comprehenſus, in vincula coniiceretur, praelii temere commiſſi poenas daturus. Sed ex carcere ignominioſo arte et aſtu tandem evaſit, ac liberatus, de Stephano ſeditionis principe dignum ſcelere ſupplicium ſumpſit, qvi cum Sigismundo regnum abrogari cupiebat, tum inprimis commendabat Ladislaum, eumqve, ſubmoto rege legitimo, ſuccedere in locum, et novis adeo auſpiciis regnare volebat, ac ne qvid tuendo Ladislao deeſſet, opem auxiliumqve ab hoſte nominis Chriſtiani Baiazethe petendum iudicabat. Qva Stephani, et ſociorum aliqvot Hungariae procerum factione, barbaris primus in Hungariam aditus eſt patefactus, non minori coniuratorum flagitio, qvam regni Hungarici damno, qvod ſerius, ac decuit, Chriſtiani orbis Principes ſecum reputarunt, neqve tempeſtivis et communibus auxiliis hoſtem a Thracia venientem repreſſerunt. *Thurocius Chron. part.* II. *cap.8. ſeqq. cap.12.* Carolus qvidem Francorum Rex, huius nominis ſextus, pro ſuo in Luzelburgicos ſtudio, ſubſidia miſit Sigismundo Regi, ſed huius nimia virium fiducia, et Gallorum, qvi impetu ad pugnam rapiebatur, temeritas, partibus Chriſtianorum obfuit, fructumqve victoriae eripuit, atqve eius regni fortunam prorſus convertit. *V. praeter Thurocium, Froſſardus, Geufraeus, Bonfinius, Leunclavius, aliiqve. Franciſcus Philelfus, aeqvalis illorum temporum ſcriptor, affirmat, Sigismundum audacia*

potius,

potius, qvam prudentia uſum pugnaſſe lib. VIII. epiſt. Huic ſuffragatur Lubienskius in oratione funebri Sigismundi III. *p.* 482. *Illud pro certo omnes eventorum periti affirmant, Gallos non expectato ſociorum auxilio, in praelium deſcendiſſe, et circumventos a Turcis ac diſturbatos cecidiſſe, aut captos fuiſſe. Non probavit, neqve ſvaſit Sigismundus, qvinimo contradixit et refragatus eſt ſociis morae impatientibus, ſed horum prompta atqve inutilis audacia ſpem Regis confudit, et cladem exitiumqve Chriſtianis acceleravit. Tanto magis excuſandus eſt Sigismunmundus, qvanto celerius obſtinatiusqve Galli ruebant in pugnam, et cautum callidumqve hoſtem proterve laceſſebant, maxime tunc, cum nondum appropinqvaſſent Germani et Hungari, cum qvibus caſtra coniungere, et morem praeliandi Turcicum uſu et conſvetudine ſenſim addiſcere, aut minimum auxilia opperiri debuiſſent. Sed intempeſtiva praecipiendae laudis cupido illos in praelium ſimul atqve exitium egit, auctore inprimis Philippo comite Ugellano, qvi praeter ceteros gloriae appetens, ſpretoqve Sigismundi conſilio, pugnae avidus, tractis in ſententiam Gallis ac Burgundionibus, primam aciem Hungaris Germanisqve praeripere ſtuduit, et cataphractos de eqvis deſilire iuſſos pedibus dimicare voluit ac mandavit: Qvo factum, ut eqvi ſeſſoribus vacui, procurrerent in caſtra, Hungarosqve perturbarent, qvi novitate rei metuqve perculſi, dabant ſeſe in fugam.* Interfuit *praelio* Ioannes *Comes Nivernenſis, poſtea Burgundiae Dux, pretio ſoluto dimiſſus, atqve ad ſuos reverſus, cui falſo qvidem originem aurei velleris tribuunt, qvaſi ad conſervandam captivitatis memoriam, hanc ſodalitatem inſtituere voluiſſet.* V. *poſt Froſſardum,* Iacobus *Marchantius Flandriae lib.* III. *Ant. Geufraeus lib.* III. *Annus editae ſtragis fuit* MCCCXCIII. Io. *Leunclavius pandect. Turc. cap.* 51. *Ex qvo corrigendi ſunt,* Io*achimus Camerarius in narrationibus Turcicis, et Boxhornius in*

chronologia, qvi annum MCCCXCVI. turbatis temporum rationibus, ſupputarunt.

XII. Victo Sigismundi exercitu, Graecia iugum ſubiit, et caput Thraciae, acceptis a Baiazethe conditionibus, proxime ab exitio abfuit, nec multo poſt Valachia, Moldavia, Tranſylvania, et regiones ad Iſtrum ſitae, praeſidiisqve nudatae, iverunt in partes, rebusqve novis ſtuduerunt, et pleraeqve temporum fortuna exacerbatae, armis repente ſumptis, Regem oppugnarunt. Qvibus motibus ac mutationibus facem praetulit turbulenti Vir ingenii Stephanus *Vaivoda*, qvum regno perniciem machinatus eſt, miſſis ad Baiazethem nunciis, qvi ad opprimendum Sigismundum auxilia peterent, amplasqve conditiones, de clientela, et connubio inter Ladislaum et Baiazethis filiam ineundo, offerrent. *Thurocius cit. Chron. cap. 12. Toppeltin in appendice rerum Tranſylvan. Auctor notationum Coronenſium ad an. 1397.* Ioach. *Camerarius in narrationibus hiſtoricis ad an. eundem.*

XIII. Ita uno errore et Regis Sigismundi auctoritas, et regni tranqvillitas ſubverſa eſt, parumqve abfuit, qvin una illud ruina opprimeretur, niſi improviſa Stephani caedes repentinum Hungariae exitium antevertiſſet. Iisdem enim fatis hoc regnum, qvibus Graecia urgebatur, qvod proceres non modo mutuis inter ſe odiis diſſiderent, ſed etiam barbaros auxilii cauſa evocarent, et pari adeo cum Graecis fortuna uterentur. *Petrus de Revva in cent. qvinta rerum Hungaricarum.*

XIV. Nimirum fervidi et praeferoces populi fere incauti, atqve inſidiis opportuni ſunt, nec pacem diu pati poſſunt, neqve bellum circumſpecte gerunt, moribusqve et ſtudiis diſſimilibus impediti, alii repugnant aliis, et mutua aemulatione ſibi reiqve publicae vehementer nocent. Validi eqvidem et bellicoſi erant Hungari, donec concordes

ma-

manebant, ſed ubi excuſſa Regum reverentia, ſubſidium ab audacia petebant, licentiaqve turbandi omnia miſcebant, ſummota qviete, et ordine conſilioqve ſublato, bella ferocius, qvam felicius geſſerunt. Hinc clades excepit cladem, et calamitatem ſecuta eſt, cum, perruptis regni vinculis, non coniuncti inter ſe conſilio et diſciplina, fidem et obſeqvia mutarent. Qvam ob cauſam Hungari altera vice profligati ſunt, auctisqve paſſim diſſenſionibus, ſiniſtra agendi auſpicia, et triſtem funeſtúmqve praelii in campis Columbazenis commiſſi, exitum habuerunt. Hoc fuit malorum caput, qvo neglecto, irritus fuit conatus Húngarorum, qvi magno alioqvin apparatu, viribusqve coniunctis, Turcas ex Europa eiicere potuiſſent. Qvod animo providit Baiazethes, ſolutaqve urbis Cplae obſidione, in Moeſiam contendit, disiectisqve Chriſtianorum copiis, Nicopolin, expeditione et monumento Traiani celebrem, liberavit, aditumqve ſimul et poſſeſſionem inſignis Europae partis retinuit ac ſtabilivit, vaſtatas qvoqve, et ab incolis deſertas Graeciae urbes, hominum freqventia auxit, Iudaeisqve ex Hiſpania pulſis replevit. *Antonius Bonfinius rer. Vngar. decad.* III. *lib.* II. *Geufraeus cit. l. conf. Georgius Phranzes, Paulus Iovius, Ioannes Lucius, et VVolfg. Drechsler in Chron.*

XV. Cum eo loco eſſent res Vngarorum, adhuc per ipſorum diſcordias creverunt barbari, nec melior fuit regni facies, qvum Sigismundus Imperator Romanorum creatus eſt, qvae nova dignitas eum impedivit magis et diſtraxit, atqve inprimis ad curanda imperii negotia avertit. Qvo tempore Vngari, ſuperioribus malis feſſi et ſegnes, ac ſuapte culpa, in maiora pericula adducti, aegre ſe comparabant ad reſiſtendum barbaris, atqve his augendae in Europa potentiae occaſionem pariter ac materiam dabant. Eqvidem Sigismundus prudens et uſu rerum exercitus, nihil non agebat, et annitebatur pro defenſione finium, et maximopere timebat rebus Hungaricis, ſed

opportune cavere non poterat, pro conditione illorum temporum, qvae miſera ac turbulenta erant, Caeſaremqve bello Italico et Boiemico implicabant. *Achilles Tarduccius in Turc. vinc. part.* I. *Ioannes Nadanyi Flor. Hung. lib.* III *cap.* 5.

XVI. At vero ſecundi Turcarum ſucceſſus aliqvandiu impediti ſunt, cum Baiazetes ſaepius victor, poſtea victus, fortunae ludibrium eſſet: cuius filii animos viresqve diviſerunt, belloqve inteſtino commiſſi, proſperioris fortunce curſum, aliqvo Hungarorum commodo, retardarunt. Qvos errores correxit Mahometes I. et regna patri ſuo erepta, vi et armis recepit; fuſoqve ad Columbezam Sigismundi exercitu, magnis viribus movit trans Iſtrum: mox Valachis tributa impoſuit, atqve in Moeſiam ſuperiorem, non amiſſo victoriæ fructu, penetravit. Amurates II. pari impetu Thraciam Graeciamqve pervaſit, cum Palaeologi eum prohibere non poſſent, et in ſpe ac metu aeqvali verſarentur. Albertus eqvidem ſecundus, Sigismundi ſucceſſor et gener, cupiebat res Hungariae praeſtaſtare ſalvas, et eiicere hoſtes ab Iſtri aditu, regniqve finibus arcere: ſed in tanti apparatu belli Albertus, relicta uxore gravida, deceſſit, difficilimo regni tempore, qvo Regis imperio maxime opus fuit. *Aeneas Sylvius hiſt. cap. LVI. Gerardus de Roo lib. V.* Cum huius morte ſpes publica concidit, praeſertim cum Reges procul remoti, atqve extra belli diſcrimen poſiti, labentis Hungariae converſiones otioſi ſpectarent. Interim capta eſt Siderovia in ripa Iſtri, qvarto lapide Belgrado diſtans, qvae Amurati fines aperuit, Hungariamqve iniuriis Turcarum expoſuit, detractis Servia Raſciaqve regionibus, qvae antea in Regum Vngarorum clientela erant. *Bonfinius dec.* III. *lib.* IV. *Ioannes Dubravius hiſt. Boiem. lib. xxviii.* Nec Veneti naſcentibus malis in tempore occurrebant, qvibus Theſſalonica, urbs Macedoniae portu et arce inſignis, erepta eſt, qvam ab Andronico Palaeologo emptam hactenus poſſidebant, *Petrus Iuſtinianus hiſt. Ven. lib.* VII.

XVII.

XVII. Nec dum vero tranqvillitati ſtudebant Vngari, et in diverſas partes tracti, etiamnum privatae libidini, factionibusqve, cumprimis interregni tempore, ſerviebant : accitus deinde ex Polonia Vladislaus, ac, neglecto Alberti poſthumo, Rex Hungariae creatus, in magnam ſpem erexit Hungaros, et adiutore in magnis rebus Hunniade, pulſis hoſtibus, Belgradoqve liberato, Serviam Raſciamqve recuperavit, poſtea iuvenili audacia corrupit hanc laudem, collatisqve cum Amurathe ſignis, regnum damnis affectum, cladibusqve ſaepe attritum, uno conflictu perdidit, ac nobilitatis florem, et univerſas regni vires confecit. Pugna ad Varnam conſerta eſt, fortuna diu ancipiti, et magno continuatoqve pugnantium impetu, ut modo huc, modo illuc victoria inclinaret. Sed Vladislaus, ſpreto Hunniadis conſilio, in confertiſſimos hoſtes invectus, eqvo inter pugnandum confoſſo, in terram decidit, telisqve praetorianorum, qvos Amurathes I. inſtituit, obrutus, violatae fidei et temeritatis poenas dedit. Qvod bellum Vladislao diſſvaſit Ioannes Hunniades, et Dracula Valachus a praelio dehortatus eſt; alter ad ſervandi foederis religionem ſpectabat, alter paucitatem copiarum, et grave anni tempus, aliasqve difficultates aeſtimabat. Verum Eugenii IV. et Iuliani, qvem Pontifex in Hungariam miſerat, obteſtationes, pariterqve Georgii *deſpotae* preces, ac repetitae adhortationes, inprimis valebant apud Regem, ut rumperet inducias, et Amurathe in Aſiam adverſus Carmanum profecto, decerneret expeditionem. Maxime cum ei ſpem auxilii facerent Pontifex Romanus, Veneti, Genuenſes et Philippus Burgundio, qvi claſſe in Hellespontum miſſa, Turcas reditu prohibituros ſe receperunt. Sed promiſſi fides non impleta eſt, qvum Turci, deluſis aſtu Latinis, copias numero viribusqve maximas in Europam reduxerunt, ac nemine reſiſtente progreſſi, ſeptimo itineris die, non procul ab urbe Varnenſi conſtiterunt. Tanta vis fati erat, ut denuo

vincerentur Vngari, admonituri poſteros, ne pacta non reverenter habeant, ſecumqve reputent, ſi mala ſit cauſa pugnantis, pugnae exitum facile proſperum eſſe non poſſe. *Philippus Callimachus de clade Varnenſi lib.* II. *Poſt hunc Bonfinius, qvi fortitudinem et iuſtitiam Vladislai laudibus ornavit, decad.* III. *lib. VI. Sed alteram ferocientis animi temeritate, alteram rupta induciarum pactione contaminavit: illam agnoſcit Leunclavius in annalibus Turcicis: hanc non diſſimulat* Ioannes *Hunniades, et perfidiae auctores poena exolviſſe affirmat, apud Bonfinium dec.* III. *lib. VII. Qvidam accuſant* Ioannem *Hunniadem, qvod Vladislaum, iam parta prope victoria, fortiſſime pugnantem deſtituiſſet, Lubienskius in or. fun. Sigismundi* III. *p.* 482. *Contra alii tradunt, Hunniadem belli peritiſſimum, obſecraſſe Regem, parceret ſibi, et periculum fugeret, neqve in medios hoſtes ſe inferret: eam ob cauſam, ſtructa acie, tutiorem locum Regi aſſignaſſe, ut qvo ſalvo, de ſumma rerum bene ſperaret. Ipſe tandem Bonfinius inficiari non potuit, Vladislaum iuvenili tractum audacia, id eſt, ſine conſilio et prudentia, ac praeter voluntatem Hunniadis, cum ſeptuaginta eqvitibus proſiluiſſe in caſtra hoſtium, armorumqve indicio cognitum, atqve adeo ab hoſtibus circumventum occubuiſſe.*

XVIII. Caeſo Vladislao, adminiſtravit regnum Ioannes Hunniades, e pugna Varnenſi dilapſus, ſed cum in Hungariam tenderet, a Dracula Valacho inhibitus, nec multo poſt dimisſus, ordinavit rempublicam, et Ladislao Alberti II. filio, una omnium ſententia Regi creato, obligavit fidem. Ad qvem antea regnum illud iure pertinuit, qvod factione præreptum, morte Vladislai relictum, ad Ladislaum rediit, redditumqve eſt legitimo ſucceſſori. *Aeneas Sylvius hiſt. Bohem. cap. LVII. Bonfinius dec.* III. *lib. VII. Petrus Ranzanus epit. rer. Vngar. ind. xxiii.* Sed Hunniades eluendae maculae cupidus, qvam ſuperiore praelio ſibi aſperſam putabat, ſummo ulciſcendi deſiderio tenebatur, nec tam regni commodo, qvam vindictae indulge-

dulgebat, et domi immodicam potentiam, foris nimiam gloriam qvaerebat. Qvem Amurathes II. qvaſi fulmen pertimeſcebat, eiusqve conflictum, ſi ratio belli ſineret, declinabat, ratus, non optandam ſibi eſſe talem victoriam, qvalem reportasſet apud Varnam, qvae nimis cruenta, et prope cum exitio ſuo coniuncta fuiſſet. *Roo lib. V.* *De numero caeſorum variant Vngarici et Polonici ſcriptores Bonſinius et Dugloſſus.* Sed otii impatiens, nihil mediocre cupiebat Hunniades, et qvamvis robore ac numero militum impar, laceſſebat barbaros, atqve inſtructa acie, ſuas regniqve vires in unum praelii diſcrimen conferebat, hisqve rebus irritabat hoſtes, caſtrisqve exutus, regni fines nudabat, cum deinde ſpes ſuas de auxilio *Deſpotae* vanas, et promiſſa Scanderbegi de adiunctione cohortium inania et irrita ſerius aeſtimaret. *Bonſinius d. l. Gaſpar Ens rer. Vng. lib. IV. Qvem laudant ſcriptores Vngari Thurotius, Ranzanus, Bonſinius, neqve ego de meritis eius detractum volo, et magnitudinem animi, laborisqve patientiam admiror, ſed ardorem ulciſcendi nimium, praecipitemqve agendi et pugnandi feſtinationem probare non poſſum. Poloni ipſius fidem ſuſpectam habent: Auſtrii ſcriptores vaſtum et ambitione tumidum ingenium notant, adeo ut affirment, eum tyrannide ſua oppreſſiſſe regnum, cum pro Rege praeeſſet Hungaris, et* Gubernatoris *titulo, publica regni negotia regeret, eiqve nihil, praeter nomen et inſigne regium, deeſſet. Talia ei a Comite Ciliae obiecta ſunt, qvae ad tyrannidem aſpiraſſe indicant: qvanqvam ea diluit Bonſinius, tamen confirmat* Ioannes *Cuſpinianus; ille dec.* III. *lib. VII. hic in Alberto* II.

XIX. Iure vero, an perperam munus pro Rege ſuſceptum geſſerit Hunniades, inqvirere ſuperſedeo: illud ei ſatis eſt, ſervaſſe Belgradum, caſtrum ad Danubii et Savi confluentes, qvod Georgius Serviae regulus Sigismundo tradidit, permutationis iure poſſidendum. Nam ibi magno acriqve impetu ſe obiecit Turcis, atqve in eo rerum diſcrimine, urbi labo-

boranti opportune aſſuit, copiasqve hoſtium ſuo ductu repreſſit, et Hungaros adeo ſinitimosqve populos barbarorum metu liberavit. Niſi feſtinaſſet Hunniades, foedam miſerabilemqve ſervitutem urbs ſubüſſet, qvam regnante Vladislao, Amurates II. obſedit, et Ladislao ſummae rerum impoſito, Mahometes ſecundus, occupata Cpli, ſucceſſu elatus, atqve in ſpem ſubigendae Hungariae erectus, magna vi oppugnavit. Conatum Hunniadis acuit neceſſitas, cum in ipſo temporis articulo, qvo barbari, ſuperato muro, tendebant in urbem, adiutor veniret obſeſſis, et repentina aggreſſione turbatos reiiceret hoſtes, ac verteret in fugam. Qvae ſubita nec proviſa res, cladem metumqve attulit barbaris, et expugnandae urbis facultatem Mahometi II. ademit. Mox Hunniades, curis moleſtiisqve fatigatus et fractus, ex morbo praeter ſpem contracto obiit, et urbis defenſae laborem, commodo regni, et utilitati rei Chriſtianae rependit. *Ranzanus ind. XXV. XXVI. XXVII. Bonfinius decad.* III. *lib. VIII. Tarduccius cit. part. I. Noſſenius chronol. an. 1456. Dornavius, et complures.*

XX. Ab exceſſu Ladislai Matthias Hunniades, Ioannis filius, mira fortunae viciſſitudine ex carcere, in qvem coniectus erat, dimiſſus, regnum ſuſcepit, qvi etſi ad frangendas Turcarum vires permultum poterat, tamen intempeſtivo ulciſcendi ſtudio, bellum potius in Auſtrios, qvam in Turcas convertit. Haud dubie id barbaris magno ad res ſuas adiumento fuit, cum remiſſior Matthiae animus, apparatusqve tardior, et conatus, qvam perſeverantia, maior, ſpem facerent hoſtibus potentiae ſecurius augendae. Erat tunc Matthias in magna paſſim invidia, praeſertim apud Germanos et Italos, qvod tam iniqvo et difficili tempore, cauſam rei Chriſtianae deſereret, neqve tam bellator prudens, qvam praedator ferox, et paterno qvidem, ſed non imitando exemplo, gravis infeſtusqve Auſtriae eſſet. Proinde Itali rei indignitate permoti, pro ſuo in

Auſtri-

Auſtriam amore cupiebant, populationis modum faceret, bellumqve finiret: ſed pertinaci ac repugnanti, pecuniam ſubſidii nomine decretam perſolvere recuſarunt. Poſtqvam in Auſtrios effudit impetum, inciſo rerum nervo, mora et mollitie impeditus, multas belli contra Turcas gerendi occaſiones neglexit, maxime autem, ducta uxore Beatrice, lentus nimium et langvidus fuit. Qvo rerum ſtatu Graeci metu trepidi, ſpeqve auxilii, qvod ab Hungaria mittendum fuerat, fruſtrati, ceſſerunt barbaris, et deſerentibus ſalutem ſociis, una cum veteri ſede Imperii Or. ſervitutem ſubierunt. Qvod ſi tunc per diſſidia certaminaqve domeſtica Chriſtianorum Principum fieri potuiſſet, Turcae multis bellis terra mariqve diſtracti, vires ad reſiſtendum uno tempore tot hoſtibus ſuffecturas non habuiſſent. Mahometes II. ipſe de fama periclitatus fuiſſet, vix defenſurus occupatas Europae urbes, qvippe non parvo intervallo disiunctas, et invadentibus opportunas, ſiqvidem ſubito, nec opinato ex diverſis locis imminuiſſent, alii claſſe miſſa, petiiſſent Helleſpontum, ac, niſi penetraſſent eius fauces, ſaltem oſtentaſſent arma, et qvoqvomodo terruiſſent; alii territos adorti, terreſtri itinere ad opem Graecis ferendam accurriſſent. Sed cunctando occaſio abiit, et nihil dignum expectatione geſtum eſt, dato barbaris ſpatio ſe confirmandi, et impune vaſtandi regiones finitimas, deductisqve Vngarorum de limite praeſidiis, Dalmatiam, et proxima loca infeſtandi. Veneti ſub id tempus bello Italico diſtinebantur; Auſtrii incurſionum mala perpeſſi, diffidebant Hungaris, qvorum multa crudelitatis veſtigia paſſim extabant: Germani reliqvi ad ſuam praecipue tranqvillitatem ſpectabant, atqve ob motus Burgundicos a propoſito mittendi auxilii retrahebantur: omnes fere Europae Principes mutuo metu et aemulatione ſe impediebant, qvominus obſiſterent communi periculo, in qvo et verti dignitatem Chriſtiani nominis, et labefactari fortunam intelligebant. *V. poſt Aeneam Sylvium, Geufraeus, Revva, Bel-*

carius, Olivarius, Marchantius, Tarduccius, Renatus de Luſinga, qvi non ſpernendo ſtudio, pleraqve huc pertinentia attigerunt.

XXI. Poſt Matthiam regni dignitas Vladislao VI. obvenit, qvi non modo non acrior, ſed qvoqve multo remiſſior, et in adminiſtrandis regni negotiis ſegnior fuit. Hungari mobiles et turbis aſſveti, contempta Regis, qvem iratiori fato elegerant, ignavia, novis atqve infauſtis, qvae eruperant, diſſidiis, commiſſi inter ſe, atqve diſtracti, non qvo res poſcebat, ſed qvo libido ſvadebat, impulſi, occaſionem hoſti latius graſſandi, tutiusqve nocendi praebuerunt. Defuit ſuis rebus Matthias, qvi Mahomete II. ſublato, et mox inteſtina ſeditione oborta, omnes ſuperiori bello ademptas regiones repetere, atqve ad obſeqvium redigere, vel ipſius Baiazetis II. ſententia poterat, ſi, ut tempus bello opportunum, ſic ad gerendum illud paratus atqve expeditus fuiſſet. Vladislaus plane tardus, et ob praepingve corpus etiam inhabilis, a priſtino bellandi inſtituto nimium receſſit, non ignaro huius rei Baiazethe, qvi Vladislao, praeter conſvetudinem gentis Hungaricae, pacem petenti, ſuperbe reſpondit, et iniqva conditione lata, liberum tranſitum, per Croatiam Valachiamqve concedendum flagitavit. Cuius poſtulati indignitas Regem commovit, ut contractis auxiliis, ſe compararet ad bellum, qvod arte et conſilio traxit Baiazethes, pugnamqve declinavit, miſſis, qvi de induciis tractarent: ſumma deſtinationum erat, fallere tempus, et cunctando eludere ſpem Vladislai, qvi coepto compoſitionis negotio, ab hoſte ſibi non admodum metuebat. Inter haec Baiazetes cum exercitu in Valachiam, proximasqve regiones deſcendit, et magna crudelitate omnia late populatur, Savumqve amnem tranſit, vaſtat agrum, et magnam abigit praedam. Vladislaus more ſuo cunctabundus, deceptum ſe videt, et callidi hoſtis inſidias agnoſcit, movetqve caſtra in Bulgariam, et provinciam diripit, praedaqve contentus, nullo victoriae fructu percepto redit. Via tunc Cplin usqve patebat, gliſcentibus in urbe factionibus, et afflictis

ctis in Aſia rebus, ubi Baiazetes adverſa fortuna cum Perſis pugnarat. Sed Regi non animus, neqve conſilium erat, neqve viribus ſuis fidebat, neqve opportunitate recuperandi amiſſas provincias utebatur. Idcirco a pace, qvam Baiazetes obtulit, non abhorrebat, propterea qvod regni proceres erant diſcordes, parumqve obſeqventes, alii pace et otio frui, alii inter arma verſari cupiebant, nonnulli, ut fama erat, inclinatione voluntatum in barbaros propendebant, odio regis pridem inviſi, et ſuopte ingenio tardi, et niſi neceſſitas cogeret, tergiverſantis. *Paulus* Iovius *hiſtor.* XIII. *Ludovicus Tubero de temporibus ſuis lib.* III. *Bonfinius, qvi iuſſu Matthiae Regis, qvem ut Herculem laudat, hiſtoriam ſcripſit, eiusqve partibus inprimis ſtuduit, decad.* III. *lib.* IX. *ſeqq. conf. Thurocius, ſtudio in Regem non inferior, ſed ſtylo impar, qvi in Matthia deſinit: item Naucleri et Palmerii appendix, Tarduccius, Mechovius, et vulgares alii rerum Turcarum compilatores.*

XXII. Sub Ludovico, Vladislai filio, nondum res qvietae erant, proceresqve, contempta Regis aetate, rempublicam qvaeſtui habebant. Malum hoc fuit omen et ſignum regni labentis, cum licentia ac luxuria invaleſcerent, belliqve ſtudia, corruptis luxu animis, conciderent, et bonae etiam leges, mira omnium rerum inclinatione, opprimerentur. Qva in re fama exiſtimatioqve Regis laeſa eſt, et regni maieſtas eviluit, certantibus ambitu et aemulatione primoribus, qvi omnia ad nutum arbitriumqve flectebant. Nihil tam freqvens et ſolenne erat, qvam in theatro verſari, et convivia ludosqve apparare: reliqvum tempus inutili cunctatione et otio, vel civilibus odiis conſumptum fuit. *Labem iſtius regiminis, et rerum confuſionem graviter meritoqve deploravit Sigismundus Herberſteinius, natalibus pariter et ingenio inclutus, teſtisqve rerum oculatus, neqve is ſolum, ſed etiam indigenae Vngari, ruentis in perniciem Vngariae mores notant et conqveruntur. Ranzanus nihil dubitat ſcribere,* Vngaros theatris et conviviis deditos. *Nadan. lib.* III. *cap.* 20.

XXIII. Omnes tamen fidenti animo periculum ſpernebant, et choreis compotationibusqve tempus inutiliter terebant, irridentes apparatum hoſtis, qvem maxime formidari oportebat. Nihil horum fugiebat Solymannum, animoſum ac perinde callidum, qvi pace cum Perſis facta, movit verſus Hungariam, captoqve Raſcianorum ſcelere Belgrado, Savum et Dravum, nemine reſiſtere auſo, traiecit, atqve aditu hinc patefacto, urbes proximas intercepit, rectaqve Murſam contendit, qvae regni huius clauſtrum eſt, et recentiori vocabulo *Ezeckum* appellatur. Rex conſilii inops, atqve exhauſto aerario egens, imminente iam hoſte, qvid facto opus eſſet, protinus exqvirebat. Proceres variabant ſententiis: qvidam hortabantur, decertaret armis, inter qvos primas tenebat Paulus Tomoraeus, Iuliani purpurati animo et impetu ſimilis Antiſtes: qvidam perſpecta periculi magnitudine, aliter ſtatuebant, et ne Rex praelii copiam faceret, obſecrabant. Inter hos praecipuus erat Ioannes Scepuſius, Tranſylvaniae praefectus, qvi triſtem funeſtumqve Vngaricae expeditionis exitum facile animo proſpiciebat. In qvo ancipiti diſcrimine Rex, qvid faceret, ignarus, rem per ſe arduam explicare non poterat, et inter ludicra educatus, nullamqve regendi et militandi ſcientiam adeptus, alieno tantum conſilio regebatur. Id temporis Ioannes Scepuſius cum validis copiis in Tranſylvania conſiſtebat, differendi auctor certaminis, donec excita undiqve auxilia praeſto eſſent. Rex, qvid ſentiret Scepuſius, ſignificabat regni optimatibus, apud qvos omnia feſtinanter ac turbide fiebant, nec mora, ſed inconſulta audacia, atqve impetus valebant. Qvibus rebus non vanum cladis omen datum eſt, qvando belli caute gerendi ratio nec Regi, neqve ducibus eius conſtabat. Igitur dimicare ſtatuit, et praelio fatali apud Mohazium decernit, ſed multitudini hoſtium impar, turbatis ordinibus, fuga ſalutem qvaerit, et dum evadere cogitat, cum eqvo in paludem delapſus, tam foede perit, qvam temere pugnavit. *Signa infau-*

fauſta, ſiniſtraqve omina cladem Mohazianam praeceſſerunt, de qvibus legantur Io. *Leunclavius pandect. hiſt. Turc. cap. 221. Revva cent. vi. rer. Hung. Multi tradunt, Mohazianae cladis initium coepiſſe ab extraordinariis Vngarorum praeliis, apud* Iovium *hiſt. lib. xxxvi. coll. l. xxiii. Revera temeritas fuit, nondum ſubmiſſis ex Tranſylvania, Slavonia, Croatia, Boiemia auxiliis, cunctas regni vires periculo obiicere, praeliumqve committere, qvod finiat libertatem, ſi clades accipiatur. Rex domi inops et miſer, ac foris incerta ſubſidia expectans, nec militiae aſſvetus, et copiarum robore et numero inferior, in tanta rerum Hungaricarum confuſione, non tempeſtive reſiſtebat, regniqve aditus celeritate hoſtis occupari ſinebat, haud gerentibus ei morem Vngaris, cum de cuſtodiendo Dravi tranſitu admonendos curaret. Interim tuto proceſſit hoſtis, Dravumqve tranſiit, Vngaris conſultatione diſtractis, et regno ad egeſtatem redacto, in qvo libidini ac avaritiae omnia licebant, et diſciplina belli, auctoritasqve Regis iacebant. Melchior Soiteterus, narrat, Regem dolo et perfidia ſuorum cecidiſſe, l. i. belli Pannon. Innuit, opinor,* Ioannem *Scepuſium, perfidiae ſuſpectum, qvem belli artibus clarum, et ſopito Georgii Scythae, qvi ruſticos Hungariae conciverat, tumultu celebrem, ſuaqve dignitate, et populi ſtudio fretum, non ſine ratione timebat, tanqvam is modum potentiae excederet, et indicio qvaeſiti in regia domo connubii, ſpem ſuccedendi in regno deſtinaret, ut eſt apud Tuberonem lib. X. Nec obſcure Regis morte laetatus eſt, qvo ſublato, cum auxiliis ſero venit, regnumqve vacuum prenſavit. Regi laboranti ſimul cum pecunia auctoritas defuit, et idoneus copiarum ductor fruſtra expetitus eſt, non ſine culpa Scepuſii, Regem, contra qvam is ſperaverat, deſtituentis. Praelium unius et dimidiae horae ſpatio confectum, vires animosqve auxit barbaris, qvi deleto Vngarorum exercitu, in ſpem occupandi regni veniebant, haud ignari, Vngaros a bello deſvefactos, non providere periculum, nec praecavere, atqve ad belli munia imparatos, et diuturnitate otii langventes, luxui indulgere, et aleas potius atqve choreas, qvam arma, qvae propter longam Vla-*

disſidi deſidiam neglecta fuerant, ſectari. Proinde Herberſteinius vere ſapienterqve ſcripſit, hoc regnum gaudio et tripudio periiſſe. Nec Tubero diſſimulat permultos regni morbos, qvi ſeptimo Ludovici II. anno hiſtoriam ſuam terminavit, lib. XI. eoqve poſtremo. Nicolaus Iſthuanfius ſcriptor ſcitus et integer, qvi regni in perniciem ruentis cauſas inde ab ultimo initio repetit, clademqve Mahozianam lib. VIII. deſcribit. Melch. Soiter lib. I. Sal. Neugebauer lib. VII. Praeterqvam autem qvod Hungari nimis ſecure et inſolenter de rebus ſuis ſtatuebant, inducias qvoqve a Solymanno oblatas reiiciebant, legatumqve ab eo paciſcendi cauſa miſſum, contumelioſe tractabant. Barbarus eo facto irritatus, praetextu ulciſcendi, bellum acrius movit, et Hungaros temere praelium conferentes vicit, dicere ſolitus, non ſe veniſſe, ut Ludovicum paterno regno exueret, ſed ut Hungarorum, qvi nuncium eius Berhamum Chauſium indigne habuerant, refraenaret, apud Thuanum lib. I. *Qvare ſibi rectius conſuluiſſet Ludovicus, ſi Regis Poloniae Sigismundi conſilium ſecutus fuiſſet, qvi vera, et rebus temporibusqve idonea ratione ductus, ſvadebat inducias, et tempeſtive monebat, ne Ludovicus externo, qvod ſperabat, auxilio fideret, cuius fruſtratio deinceps afferret deſperationem. Iſthuanfius lib. VI. Ridebat Solymannus, cum oratores hinc inde miſſos audiret, qvi nomine Regis Vng. ſubſidia peterent, qvippe qvem nec bello aptum, nec viribus conſiliisqve ſuis nixum, perturbato regni ſtatu, nihil recte facturum iudicabat. Qvod perinde evenit, atqve cogitavit Solymannus, antea in luxum et libidinem pronus, ſed patre Selimo vivis erepto, repente mutatus, et gloriae cupiditate, ad arma converſus. Tubero cit. lib.*

XXIV. Clade ad Mohazium accepta, ſumma calamitas exitiumqve regno impendebat, Budaqve, perlato ſtragis nuncio perculſa, et praeſidio nudata, ingruenti hoſti ne reſiſtere qvidem audebat, qvam ſubiectumqve agrum diripuit, et omnia ferro igniqve vaſtavit, multis hominum millibus partim caeſis, partim in captivitatem abductis. Iamqve tota Vngaria

bar-

barbarorum iniuriis obnoxia erat, niſi Solymannus, viciſſe et vaſtaſſe contentus, relicta ſine praeſidio Buda, ad motus in Natolia componendos diſcesſiſſet. Qvi abitus Vngaris fortunatus fuit, regniqve liberandi ſpem fecit, nec multo poſt conſilium de Rege eligendo habitum, in qvo potior ſaniorqve pars Ferdinandum I. regno dignum pronunciavit, qvippe ad qvem iure pacti et connubii pertinebat. Pars reliqva, turbato comitiorum ordine, Ioannem Scepuſium elegit, abſente regni praefecto, qvi praeterqvam qvod, regno vacante, comitia indicit, primi qvoqve ſuffragii ius habet. Non defuit cauſae ſuae Ferdinandus, atqve adverſarium, metu magis, qvam amore, et qvod caput rei eſt, cum vitio electum, armis perſecutus eſt, captaqve Buda, qvam Ioannes, adventante Ferdinandi exercitu, deſeruerat, ius foedere ac neceſſitudine qvaeſitum, ſtrenue defendit. Is Hungaria, perinde ac Tranſylvania pulſus, in finitimo Poloniae regno praeſidium qvaerebat, ſed cum ei hoc ex animi ſententia non ſuccederet, auctore qvodam, ut perhibent, Hieronymo Laſco, ad Turcarum auxilia converſus, Solymanno ſe permiſit, regnumqve ambitione ſua perturbatum, in pacis ſalutisqve amittendae diſcrimen adduxit. Qvi nulla qvidem regia ſtirpe ortus, et militari potentia, qva plerisqve terrori erat, nixus, eo audaciae proceſſerat, ut, non aeſtimata ſua conditione, regni potiundi ſpe duceretur. Igitur abiecta malorum, qvae ſecutura eſſent, cogitatione, in Solymanni fidem clientelamqve ſe dedit: qvae res Solymanno peropportune cecidit, qvi coepta non omittenda ratus, feſtinavit illius cauſa, et expeditione ſuſcepta, clientem ſibi deditum atqve devinctum, in Hungariam ſuperba et iniuſta vi reduxit, Budamqve, non reſiſtentibus praeſidiariis, recepit, deditisqve finitimis urbibus, qvas metu minisqve exterruit, nihil a tergo metuens movit in Auſtriam, et repentino impetu per fines regionis pervaſit, rectaqve Vindobonam contendit, et urbem auguſtam magnis viribus copiisqve obſedit, ubi primum haeſitavit

for-

fortuna Solymanni. *V. Iſthuanſius lib. X. Geufraeus lib. I. rer. ſub Solymanno geſtar. Leunclavius hiſt. Turc. l. xviii. et pandect. c. 224. Melchior Soiterus lib.* I. *et* II. *Iovius lib. xxiii. Bizarrus lib. xi. Ioannes Sambucus in appendice Bonfinii, atqve ex eo Caſp. Ens, Revva centur. VI. Philippus Lonicerus t. 1. Ioannes Piſtorius in genealogia Regum Vngariae, Tarduccius c. l. Thuanus curſim haec attigit, nec rationes omnes enumerat, qvibus nitebatur Ferdinandus* I. *Omnium minime praeterire debuit pactum inter Fridericum V. Imp. Ferdinandi* I. *proavum, et Matthiam Hunniadem, de ſucceſſione regni, A. MCCCCLXIII. ſolenniter initum, ſumptumqve ea de cauſa titulum, et una cum qvaeſito in Vngariam iure, a Friderico ad Maximilianum* I. *rite delatum, qvod, nulla exiſtente legitima Matthiae ſobole, omnino implendum, regnumqve, defuncto Matthia, ad Maximilianum* I. *prorſus devolvendum erat. Exemplum pacti extat apud Sambucum, ſcriptorem Vngarum, in Appendice. Idcirco ab exceſſu Matthiae dicebat Maximilianus,* ſe verum eſſe Vngarorum Regem, atqve a Deo conſtitutum, *ut Tubero commemorat lib. IV. Qvin imo ante Matthiam, Friderico V. Imp. tanqvam Ladislai poſthumi agnato, ius competebat in regnum, qvod idem ſemper affirmat, agnoviſſe Vngaros, et deſignaſſe Fridericum, qvi propterea Ladislao ſuccederet, regnumqve capeſſeret, qvod iure ſangvinis ei deberetur, lib.* I. *Fuitqve haec voluntas Sigismundi Luzelburgici, nominantis et commendantis Albertum* II. *Auſtrium, Ladislai patrem, apud Gerardum de Roo lib. V. Cuius iudicio ſtabant regni Proceres, et electionem ratione ſuccedendi temperatam, necesſitudinisqve argumento conſtitutam admittebant et approbabant. Etenim pleraqve et praecipua Europae regna, atqve inter haec Gothica, Getica, et Pannonica, non mera, prorſusqve libera, ſed circunſcripta electione, qvae ſangvinem, aut voluntatem regnantis reſpicit, deferebantur. A qva tamen Vngari, ſtatu regni corrupto ac turbido, interdum receſſerunt, nec multo poſt poenitendi erroris cauſas habuerunt. Maxime temporibus Vladislai IV. et Vladislai VI. qvod cordatiores Vngari*

gari doluerunt et faſſi ſunt apud Bonfinium, cum qvo conſ. Tubero lib. I. et l. IV. Qvo fundamento ſubſtructo magnum pondus habet ratio, qvae a connubio deſumitur, praeſertim in eo regno, in qvo iudicium regnantis valebat. Cuiusmodi regna ſucceſſioni immixta ſunt, et definita electione conſtant, et pacto gentilitio vel dotali, transferuntur. Neutra ratione iuvari poterat Scepuſius, ad qvem non ſpectabat pactum, ſuperiori tempore conſtitutum, neqve electio ius dabat, qvippe qvae inter turbas praecipitata, et cum vitio peracta erat, nec fraudi eſſe poterat iuribus dudum qvaeſitis, et a Ladislao poſthumo ductis, ac deinceps novo ſucceſſionis pacto rite confirmatis, belloqve defenſis, victo apud Tocaium Scepuſio, qvi regnum Ferdinando I. debitum invaſit, et proditor Hungariae, ac peſtis Chriſtiani orbis a plerisqve appellatur. Cuius potior laus fuiſſet, ſi mediocritate fortunae contentus, regnandi cupiditatem continuiſſet. Tandem facti huius poenituit Scepuſium, cum aeſtimaret meliorem Ferdinandi cauſam, et reputaret ſimul conſilia Turcarum, qvae ad dominatum Turcicum, et Vngariae perniciem dirigebantur. Malum erat, cuius remedium inveniri non poterat, cum parum abeſſet, qvin Solymannus omnia ad arbitrium conſtitueret, totoqve regno potiretur. Itaqve Scepuſius, qvi bello cauſam dedit, rei Chriſtianae, et conſcientiae ſuae tandem conſulere voluit, et cum Ferdinando de ſucceſſione pactus eſt, ut, ſe mortuo, regnum ei, qvi iure erat potior, reſtitueretur. Qvanqvam ne haec qvidem conditio impleta eſt: poſtqvam enim deceſſiſſet Scepuſius, pactio violata eſt, nato ei paulo ante mortem filio, cui tutor datus Georgius, auctor retinendi, et turbandi regni fuit. Qvibus conſiliis ſe immiſcebat Solymannus, et de alieno regno, nova pactione, atqve ipſa Ioannis ceſſione, Ferdinandi partibus confirmato, impotenter ſtatuebat, et patrocinii titulo ſe pro domino gerebat, qvod eventus docuit, cum per inſidias Budam occuparet, fidemqve falleret, et ſuperiores adeo iniurias cumularet, regnumqve cladibus debilitatum opprimeret, ac beneficii nomine, tutelaeqve obtentu ſibi iniuſte vindicaret, imo et hac afflicta Vngariae conditione, viam ad

D in-

invadendas et evertendas Chriſtianorum regiones patefactam exiſtimaret. V. Iſthuanfius *et Soiterus, ex qvibus Iovius dextre explicandus, Thuanus ſupplendus, alii corrigendi aut declarandi. Tum exinde aeſtimanda et iudicanda eſt epiſtola* Ioannis *Scepuſii, ambitionis et odii in Ferdinandum* I. *plena, qvam A. cIɔ Iɔ XXIIX. Ratisbonam ad Senatum* Imperii *perſcripſit, apud Nicolaum Reusnerum lib. VIII. epiſt. Turc. Rectius ſinceriusqve alii indicarunt, et mirati ſunt, inveniri homines, animo tam inſignite improbo et perverſo, qvi Scepuſii cauſam commendent, acerrimoqve hoſti amorem, et Regi optimo Ferdinando odium concitare velint, in volumine I. orat. Turc. apud eundem. Proinde Rex Poloniae Sigismundus, etſi clam a Ferdinando alienior, tamen aperte nihil auſus eſt contra Ferdinandum, memor foederis hereditarii, qvod inter regna Vngariae et Poloniae, communis auxilii defenſionisqve nomine intercedit.*

Additamenta.

I. REgnum Vngariae, inde ab ultimis Regum temporibus, mera electione delatum non eſt (etſi pro parte olim electio valuit) qvod novis iam auſpiciis tenet Leopoldus Caeſar, qvi ius neceſſitudine, pactionibusqve crebris qvaeſitum, iuſto bello vindicavit, ac pulſis profligatisqve hoſtibus, qvi ruptis perfidia induciis, regnum invaſerant, ab externo barbarae gentis dominatu liberavit, recentiqve Procerum Vngaricorum ceſſione, in proximis Poſonii Comitiis facta, ſibi ac ſtirpi ſuae in univerſum, lege hereditaria confirmavit.

II. Abſurdum eſt, et rationi contrarium, moribusqve cultarum, inprimis Chriſtianarum gentium inſtitutis repugnans Andreae II. diploma, nominatim in eo capite, qvo non libertas, ſed cyclopica licentia continetur, Regumqve ius in tantum confunditur, evertitur ac deluditur, in qvantum ibi facultas reſiſtendi Regibus conceditur, tribuitur et ſancitur. Qvae decreti pars Scytharum Hunnorumqve ingenio congruit; Vngaros

dudum

dudum cultos, et ante Andream II. ad Chriſti nomen adiunctos, non decet, neqve uſu et exemplo confirmata eſt; neqve magis Vngariae Reges, qvam Iodoci Conſtitutio Imperatores Ro. obſtrinxit.

III. Regna Vngariae coniuncta, non eadem parendi lege cenſebantur: qvaedam ſubiecta, qvaedam iure clientelae obnoxia, aut vectigalia et *tributaria* fuerunt. Qvae diverſa acqvirendi ratione conſtabant, nec uno eodemqve modo poſſidebantur, ut perapte et evidenter hic documento ſunt, Dalmatia, Boſnia, Valachia, qvae diſſimili iure ad Vngariam pertinebant.

IV. Dalmatiae pars minima eſt hodie penes Vngariae Regem, ad qvem tota olim ſpectabat, non ſolum mediterranea, ſed etiam maritima, cuius ſinuoſa littora nautis celebrantur.

V. Vtrisqve repetendae ius tamdiu durat, qvamdiu Regis Vngariae titulus manet, qvi ſervati iuris indicio retinetur, maxime contra *invaſores* barbaros, qvi alienum, neqve ad ſe pertinens patrimonium, veris et legitimis S. Stephani ſucceſſoribus Auſtriis eripuerunt. Excipio pactiones ſigillatim inter Auſtrios Venetosqve initas, qvae tamen non tam ad Illyrios et Dalmatas, qvam ad Carnos et Iſtros pertinuerunt.

VI. Cum iure Caeſaris fortuna ſe iunxit, occaſionemqve recuperandae Slavoniae dedit, qvae Dalmatiae pars eſt, et Dravo fluvio ab Hungaria diſterminatur. Qvae qvidem alio nomine dicitur Pannonia Savia, qvia inter Savum et Dravum ſita eſt, atqve ab aliis qvoqve interamnis appellatur. Vbi laeto nuper Caeſaris auſpicio, felicibusqve rei Chriſtianae incrementis recepta eſt Poſega, regionis caput. Veneti, ductu Cornari praefecti, Caſtellum novum, urbem arce praeditam et permunitam, atqve in ora maris ſitam, expugnarunt.

VII. Adeo regnorum ſalus pendet ex defenſione urbium, qvae fines eorum aperiunt ac firmant, qvibus occupatis, compedes libertati iniiciuntur. Qvod, capta Cpli, experti ſunt Graeci, Illyrii, Bulgari, atqve expugnato poſt Belgrado, didicerunt malo ſuo Vngari, Tranſylvani, Valachi, finitimaeqve gentes. Magnam

profecto in illa urbe iacturam fecit Chriſtianus orbis, cum Vngari et Veneti odio et aemulatione ſe impedirent, et iſti etiam diſſidiis civilibus conflictarentur. Nec tamen deſunt, qvi cum Tuberone exiſtiment, plus in Belgradenſi, qvam in Cpla Vrbe amiſſum eſſe, qvod dextre explicari poſſe, non inficiabor.

IIX. Buda recepta, novum regnandi cum plena poteſtate auſpicium Aug. Leopoldo praebitum eſt, qvippe qvod ita Turcas exterruit, ut maioris putarent Budae, qvam Peloponneſi damnum.

XI. Ab hoc initio maior felicitas coepit, et ſecundo utiqve rerum ſucceſſu contra barbaros pugnatum eſt, omenqve eorum de fatali Mohazio in ſuperſtitioſae gentis cladem exitiumqve verſum, qvando Murſa ad Dravum intercepta, barbaris aditus praeclufus eſt, atq; ex hoc tempore multae atqve inſignes urbes, praeciſa auxilii et annonae ſpe, laborare coeperunt: Paloda et Mungazium denuo in Caeſaris poteſtatem redacta ſunt, Alba regalis fatum ſimile expectat: Sigethum deniqve et Caniſcha, afflictis conturbatisqve hoſtium rebus, fortaſſe fortunam hanc ſeqventur

X. Nec ſolum Turcae iam fracti, et metu conſternati, ſed etiam ſuperſtitione decepti ſunt, qvum Caeſar, deletis eorum ad Mohazium copiis, ultus eſt ſuperiores Solymanni iniurias, Regisqve Ludovici manibus, caedium et crudelitatis Solymanni vindicem poſcentibus, parentavit.

XI. Vngaria ulterior, dedita Agria, ad fidem obſeqviumqve Caeſaris rediit, et poſt diuturnam ſervitutem, recuperatae libertatis praemium tulit.

XII. Inter haec gaudia fas eſt gratulari Leopoldo, qvi vigens laetusqve videt, qvem voluit, ſucceſſorem, et in munimento ſtirpis tuto inſiſtit, filiumqve regiae dignitatis ſocium, atqve in ſpem Imperii genitum complectitur, ac ſuam regniqve publicam ſalutem peropportune defendit et tuetur. Qvi pium iuſtumqve bellum gerit, et urget ac premit barbaros, dominandi cupiditate excitos, atqve antea ambitione et audacia tumidos, nunc rebus adverſis trepidos, acceptisqve tot cladibus deiectos, et viribus attritis confuſos, atqve exhauſto aerario inopes. ac prolapſa belli diſciplina, ignavos et molles, caeſisqve ducibus idoneis, diſtractos et difficiles, militiaeqve rudes.